

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Humilitas i
cum fonte primo

Non indocta humilitas,
sed que habeat sui modestiam et scienciam, laudatur.

Scio humiliari, id est in quo loco, qua moderacione,
quo fine, in quo officio, in quo munere.
Nesciuit phariseus humiliari, ideo deiectus est.

Ambrosius libro de officiis.

Non ergo indocta humilitas
sed quae habeat sui modestiam et scientiam, laudi datur.
Est enim humilitas formidinis, est imperitiae atque
ignorantiae; et ideo Scriptura ait: *Et humiles spiritu saluabit.*
Praeclare ergo dixit:
Scio et humiliari, id est, quo in loco, qua moderatione,
quo fine, in quo officio, in quo munere.
Nesciuit pharisaeus humiliari, ideo deiectus;
sciuit publicanus, ideo iustificatus est.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 2.17 (CCSL 15,
M. Testard ed., pp.129-30, ll.42-48). cf. Phil. 4:12.